



**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de  
Leodii, 1685**

§. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

## §. II.

**Q**uæ omnia licet verissima sint,  
nihil tamen in toto mundo visibili  
& invisibili, nihil in terra, in Cœ-  
lo, in hominibus, in Angelis, inve-  
nitur, quod Divinam Essentiam, &  
Existentiam, ac Majestatem Divinita-  
tis unius, in triplici Divinarum Per-  
sonarum hypostasi residentem, au-  
gustius, & perfectius nobis repræsen-  
tat, quam Verbi Incarnati Myste-  
rium, quod solum omnia in se uno,  
perfectissimè continet: in hac Trini-  
tate communicata per Verbum Incar-  
natum in Utero Virgineo, solius Al-  
tissimi omnipotenti virtute consum-  
mata: Tria sunt summa & summè uni-  
ta, atque unicum Christum, Deum-  
Hominem constituentia. Unitas Per-  
sonæ Divinæ Increatæ Verbi Dei,  
consubstantialis, coæterni, & coæ-  
qualis Patri secundūm Divinitatem, &  
Trinitas diversarum substancialium,  
scilicet Divinitatis, Animæ, & Car-  
nis Christi, & unio perfecta substancialis &  
hypostatica trium illarum sub-

D

stantiarum, indissolubili, ineffabili,  
incomprehensibili illo vinculo, in eodem  
toto composito, in uno Christo  
subsistentium, per unicam Divinam  
Personam, Verbi Incarnati, Unigeniti  
Filii Dei, qui quod semel assumpsit  
hypostaticè sibi unitum, nunquam  
dimisit. O Mysteria Adoranda! ô  
abisssus Triadis Increatae, & creatae in  
Christo JESU! ô profunditas profun-  
ditatum! ô incomprehensibilitas Ma-  
jestatis ejusdem Divinitatis in Trini-  
tate increata, & infinitae Majestatis,  
Potentiae, Sapientiae ac Pietatis, Dei  
vivi, in Mysterio Incarnationis; sed  
quod nullus intellectus creatus potest  
comprehendere, omnes Angeli, &  
rationis capaces creaturæ debent hu-  
milater adorare, in spiritu & veritate:  
ut sint fideles. Infinitas igitur, tibi  
Deo uni, trino, gratiarum actiones  
offerò hodie, per ora Sacro-Sancta  
Verbi Incarnati Dei-Hominis, & sem-  
per Virginis Matris admirabilis, Dei-  
paræ, atque per ora omnium qui No-  
men tuum mecum invocant. O Beata  
Trinitas unus Deus! gratias agimus  
infinitæ Bonitati tuæ, quia abscondi-

sti hæc maxima fidei Mysteria Sa-  
pientibus & Prudentibus hujus mun-  
di, & revelasti ea parvulis in Christo  
**J E S U** Deo-Homine ; qui cum in  
forma Dei esset exinanivit semetipsum,  
formam servi accipiens, & humiliavit  
semetipsum factus obediens usque ad  
mortem, mortem autem Crucis. Pro-  
pter quod & Deus exaltavit illum &  
donavit illi nomen, quod est super om-  
ne nomen; ut in Nomine **J E S U** om-  
ne genu flectatur, Cœlestium, Terre-  
strium, & omnis lingua confiteatur,  
quia Dominus **J E S U S - C H R I S T U S**  
in gloria est Dei Patris.

